meam insuper arcto sanguinis vinculo me jungi
annitar omni officio, ut te tuamque familiam, quae mihi semper charissima est, beneficiis ornare possim.
Vale Aug. M·DC·LXVII.

384 Serenissimo Principi Electorali
Carolo.

Parce tua liceat carmina tua ad censuram
vocare. Primum videtur cum Vulcano cecidisse
e coelo; nam paullulum in fine claudicat.
Secundum Poëtici spiritus plenum est, et jucunde
assurgit. Tertium quidem secundum leges Poëticas bonum; sed rationis examen vix sustinet.
Quartum, Quintum et Septem videntur a magno
profluxisse Poëta, qui spiritum per fabularum ambages, deorumque ministeria excitare solet.
Vale.

385. Georgio Hornio Prof.
Historiarum in Academia
Lugduno Batava.

De Historia tua Palatina, sicut exegeras, scripsi
tibi ante duos menses; sed quia nullas abs te recepi literas, vereor ut Epistola ad tuas manus
pervenerit. Historiam tuam Ecclesiasticam
Serenissimo Principi tradidi, qui pro ea ingentes tibi
gratias refert. Inprimis delectatus est, quod nomini
ejus libro clarissimo inscribere volueris; quod
grato animo agnoscet, ubi res locusque dabunt.
Rogo, ut aliquando Politicam tuam si modo
prodiit, nobis quoque dones; nam et in ea te admirari possumus. Vale et me, quod facis ama.
M·DC·LXVII.

387. Joh. Henrico Heideggero
S. Theol. Doctori Pr. apud Tigur.

Nisi ea esset conditio mea, ut immortalibus
tuis beneficiis fortunam meam et salutem debe-
berem

berem; posse me solis hisce literis ad obsequium perducere, quas tanta comitate atque amicitia ad me exarare soles. Tacis tu quidem abundantia amoris, ut meam felicitatem intelligam; Dum enim sanctissima tua merita in me vis eripere, et amicitiam meam appetis, esse aliquis videor, ob aestimatione tuâ et me ipsum multa superbia attolo. De rebus Westphaliis, quod scire cupis, quod ad te perscribam, non habeo; nisi quod nuper Steinfurto allatum sit, Tennulium clam ex urbe aufugisse, non observata Arresti religione, quod illi ob linguae temeritatem indixerat magistratus. Eques autem, quod nunquam fuit solitus, Daventriam abiit et quod portenti loco Steinfurtenses habent in diversorio sex assibus coenatus est. Ut venit Neomagum, coepit oratione inaugurali Steinfurtensibus maledicere nec solum vilitatem prioris stipendii atque functionis exagitavit, sed acri quoque dictione in agrestes insulsosque Westphalorum mores invectus est; quibus ne micam quidem satis concessit homo elegantissimus, verum Boeotis omnibus infrunitiores dixit. Sed haec nobis risum offerunt; illa vestri Hottingeri clades summum nobis injicit dolorem atque luctum. Heu acerba fata, quae virum Clarissimum abstulerunt, quum publica vota amplissimis eum honoribus ornarent! Scio ego, in magno luctu et squalore esse cives vestros, nec sine causa, ut qui virum doctissimum rerum et omnibus laudibus ornatissimum amiserunt; Sed mitigabit jacturam tua incolumitas quae rebus restituendis idonea est, precor Deum, ut te diu salvum esse velit, et hunc novum decus quo in Viri summi locum adscitus es diurnum et felix esse patiatur. Vale ... MDCLXVII.